



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 5. In quo explicatur an licitum sit, ob propriam defensionem occidere  
alium,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

articulo secundo, sub finem, habet hominem non teneri cum tanto cruciatu quantus est reorum, qui à Iudicibus torturantur, vitam suam teruare: sed breviorem mortem si bi permittere posse.

## De mutilatione sui ipsius appendit ad antedicta.

**H**is quæ fusiū de occidente sui ipsius tractata sunt hancenū, paucis ob rerum connexionem, illud de mutilatione addendum est: quod ut nullas est scipsum occidere, ita nec se parte aliqua mutilare: quod patet ex cap. 4. & aliquod sequentib. dist. 55. Ratioque est, quam post D. Thom. 2. 2. quæst. 65, art. 1. Sotus habet lib. 5. De iust. & iure, quæst. 2. art. 1. quia vita rotius constat ex membrorum integritate. Quare sicut homicidium nulli est licitū: ita nec mutilatio, nūi bonum totius corporis exigat: sicut contingit, tum quando membrum ita male affectum est, ut sit periculum ne toti corpori extreman adferat periculum, ut quando putridum est, aut veneno inficatum, tum quando alias ea necessaria est ad euadendū præfens mortis periculum: ut cum quis ab incendio quo corripitur locus in quo est, aliter euadere non potest quam manum qua tenerus ligatus, abscondendo (quod exemplum est Sotus, aut quin saltet per fenestrā, quantumvis prouideat sibi ex saltu frangendum esse crux, aut brachium).

Non licet vero abscondere sibi aliquid membrum ad euitandum peccatum: vt D. Tho. 2. 2. quæst. 65. art. 1. ad 3. ex Diuō Chrysostomo, notat. Quod etiam patet ex citato cap. 4. & sequentibus. Ratioque est, quia peccatum potest semper alio modo vitari; nempe libera voluntate cum diuinæ gratiæ auxilio. Nec vñquam membra adserunt animæ perniciem (alioqui enim Deus præ natu ram instituissit, quod dicere blasphemia est) sed malitia & negligētia liberae voluntatis. Si obiiciunt illud Marth. quarto. Si oculi tuus scandalizat te, erue eum, &c.] Sotus in fine cit. art. 1. respondet id esse intelligendum per hyperbole, quia moraliter significetur quasvis peccatorum occasioes esse amputandas.

Porro sicut non debet homo membrum vñnum, vt nec vitam sibi auferre: ita deber membra, vt & vitam suam, conseruare tanquam à Deo constitutus, vt vitæ, sic & membrorum suorum custos. Quamquam quatuor sunt casus in quibus non tenetur quis ad vim conseruationem. Primus est, quando est reus mortis, & ad mortem rapitur a ministris iustitiae. Immo grauiter peccat eis resistent, iuxta illud ad Rom 11. Qui potestati resistunt, ipsi damnationem acquirunt.]

Secundus casus: quando contra id ipsum quod ad eum periculum mortis, remedium adhibetur sufficiens: quia ratione illi excusat, qui cum præfens ac certum remedium habeant, ad ostendendum ipsum efficax esse contra aliquod venenum, sumunt id ipsum venenum. De hoc casu Nauar. in Enchir. cap. 15. nu. 8. ver. 8. & post eum Perr. a Nauar. lib. 2. de restit. cap. 3. nu. 82. & 83. Ad quem requiriunt primo, vt tale remedium sit de consilio insignium medicorum, iuxta precepta medicinae ab hominie legali compositum: secundo, vt periculo facto in bruto animali, vituseius comprobata sit: tertio, vt tam qui dat quam qui sumit venenum, credat remedium esse antedicto modo compositum, nec vñnum subesse mortis aut alterius corporalis damni notabilis periculum. Quæcum difficile sit explorata habere, ideo curandum est talēm experientiam in bruto fieri non in homine.

Tertius casus est, quando remedium adhibendum ad conseruandam sanitatem, est ingentis pretij, aut ipsum est valde difficile, iuxta antedicta in responsione ad quartum dubium. Quartus est, quando causa rationabilis ad eum cur debeat, quis exponere se mortis aut mutilationis periculo: vt in iusto bello aut ad iustum sui, aut alterius defensionem, iuxta post dicenda. Ceterum hic sumimus mutilationem & membrum generaliter: sub illa comprehendentes non tantum abscissionem membra, sed etiam debilitationem, qua alicui sic debilitati est membrum abs: abscissione, vt suam functionem exercere non possit. Sub membro autem comprehendentes corporis partes etiam minores, vt digitum aut articulum digiti.

## C A P V T V.

In quo explicatur, an licitum sit ob propriam defensionem occidere alium.

## S U M M A R I V M.

- 56 Ob vita propria defensionem licitum est occidere aggressorem
- 57 Quatuor conditiones ad id requisita, & quando licet: prævenire aggressorem in occidendo.
- 58 An obligatorium si occidere aggressorem, cum ad defensionem sui, id necessarium est.
- 59 Is etiam qui se in vita disconuenientem coniecit suaculpa, potest vñ iure defensionis cum moderatione inculpare tutelæ.
- 60 Quomodo licet occidere ad defensionem sui honoris.
- 61 Explicatio difficultatis vtrum licet in iure qui cum honore leviter, vt percutatur cum id necessarium videtur ad talē dānum refarcindū.
- 62 Quo modo tale quid potest homo militari.
- 63 Difficultas, an occidere licet ad defensionem rerum propriorum.
- 64 Id licet non solum cum defensione fuerit coniuncta cum periculo propriæ vitæ, sed etiam sine eo.
- 65 Solutio eorum que obicitur in contrarium.
- 66 Furem fugientem velut tuis omniis insequi licet, & occidere, si nulla alia via res ipsa per se recuperari.
- 67 In istiusmodi difficultate, pars ratio est Clericorum ac laicorum.

In re proposita est difficultas. 1. An tale quid sit licitum ob defensionem vitæ propriæ. 2. An ob defensionem proprii honoris. 3. An ob defensionem propriarum rerum: de quibus ligillatim dicendum est.

## Prima difficultas, quod ad defensionem vitæ propriæ.

**D**e prima igitur difficultate, quod licitum sit ob vitæ defensionem occidere aggressorem, sententia est D. Thomæ 2. 2. quæst. 54. art. 7. Ceter. & aliorum interpretatum illius, Sotii in 5. De iust. & iure, quæst. 1. art. 8. Nauar. in Echir. cap. 15. num. 2. Couat ad Clemens. vnicam. De homicidio 3. part. 3. vnic. num. 1. alios plures in eamdem sententiam citant: quam esse communem ait Petrus Nauar. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 332. Probatur vero: quia lex naturalis vnicuique facit potestatem scipsum defendendam aggreßorem: ex lege vt vim, ff. de iust. & iure, & ex eo, quod exsistere, adeo naturale sit cuique rei, vt in id quod sibi nocet, statim insulter. Sicque in cap. Ius naturale distinct. 1. inter ea quae sunt iuris naturalis, tanquam facta in instinctu naturæ, ponitur violencia per vim repulso. Accedit ratio: quia in eiusmodi contentione homo plus teneat prouidere vitæ suæ quam alienæ: quia semper imcumbit illi cura prouidendi taluti vitæ propriæ: prouidendi vero saluti vitæ alienæ, non item: præscriptum proposito casu in quo alteri coniiciens se ex mera malitia in salutis discrimen, non est in necessitate: sed in voluntaria iniuriae: atque scipso neglecto, tunc alij consuere, occasio esset nefariis hominibus innadendi viros bonos: dum nimis illi certi essent lezbis his minime occidendo. Qualem occasionem arripuisse videntur Machabœorum hostes, ex lib. 1. historiæ ipsorum cap. 2. Idem confirmari potest per cap. 3. sententia excommunicatiois §. Si vero, & per Clemens. vnicam De homicidio. Illic enim dicitur quod vim vi repellere omnia iura permittant, hic vero ab irregularitate ex homicidio excusatiris, qui non valens mortem aliter vitare, inuasorem suum occidit, aut mutilat.

Illi autem D. Pauli ad Rom. 12. Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ intelligentem est de defensione quæ sit cum liuore vindictæ, ex glossa interlineari, quam D. Thomas sequitur in cit. art. 7. ad 5. Cuiusmodi defensione illicitam esse non negamus. Immo vero etiam si cœcedamus, quod possit quis absq; peccato mortem aggressoris sumere tanquam medium defensionis,

seu

GINAL  
RAXIS  
RJP  
EV

seu, quod idem est, posset se defendendo habere animum occidendi aggressorem (prout docent Sotus loco cit. Nauar. in Enchir. cap. 15. nro. 2. Molina de iustitia & iure tomo 4. tract. 3. disput. 11.) quia s̄a se fieri nequit, vt te defendas, nisi inuasori vulnus lethale infligas. Negamus tamen cum Caiet. in verbis Homicidium, licitum esse sic voluntate fieri in homicidium vt in eo sitas principaliter, sicut contingit cum quis ideo defendit se vt occidat, vel cum non est contentus defensione, nisi occidat. In foro enim conscientiae occidere tunc licitum est tantummodo per accidens, id est, ideo tantum, quod ne queat quis se defendere quin inuasorem occidat. Per se enim intendere seu absoluere desiderare vt inuadens moriatur, non est necessarium ad sui defensionem, sicut est vt coagitat viisibus, sique non latet amplius: quod curando, si necesse fuerit, mors inferri potest.

*Conditiones requisite ut occiso hominis, ad defensionem suafacta, censeatur licita.*

57.

**P**orro vt hominis occisio facta in defensionem propriam censeatur licita, quatuor conditiones requiruntur. Prima, vt vis inferatur, quam secundum omnes leges licet vi repellere, ex cap. Significasti 2. De homic. & cap. Si versi. De sententia excommunic. Secunda, vt occisio fiat ad propriam defensionem, & iniuria propulsationem: ad quam, viam ante attigimus, natura vnicuique facit portatem. Tertia, vt occasio fiat in ipso actu defensionis, ex cit. cap. Significasti: ex quo habetur illam debere fieri cum moderatione inculpatæ tutelæ, non ad sumendum vindictam, sed ad iniuriam propulsandam: sive, quod idem est, ad se defendendum aduerlus iniuste inuadentem, aut accedentem ad inuadendum.

Circa quam conditionem, notandum est primo, mihi non licere quidem, quamdiu res dubia est, occidere eum à quo mortem iniustam mihi parari suspicor, etiam si vehementia apparente indicia, quod ita res habeat: quia illum de quo dubitatur an innocens sit, non licet tanquam nocentem occidere: nihilominus tamen id non impedit, prout notatum est à Molina, sequent. disput. 12. quoniam si quis faceret aliquid unde mors meritorum timeretur, admoneri posset ut ab aggressore desisteret: significando iuste timeri de illius finis intentione; sive admonitus nollet desistere, neque veller reddere sufficientem rationem corum qua faceret ad pacandum timentium animos, occidi posset tanquam iniustus aggressor si constaret tale periculum mortis ab eo imminere, quod alia ratione virari, nequeat. Id enim damnum, imputandum est recusanti facere quod debuit; non autem inferenti, qui non teneat expectare donec interficiatur; sed potest vnaqua se offerti uita defensione, praecauere ne damnum quod ex illo timerit, euenerit. Quia tamen in re tanquam abusibus obnoxia, procedendum est cum maxima circumspectione, maturoque consilio.

Notandum est secundo, ex Nauart. in cit. num. 2. Eum censeri inuasorem in negotio de quo agimus, qui decernit occidere alium cui nullum aliud effugium euadendi mortem quam iam præuenire occidendo. Pro quo facit Clemen. vniua De homicidio; per quam fieri occidere inuasorem quando nulla alia suppetit via euadendi mortem ab ipso intentam. Facit etiam, quod non idcirco fas sit mihi inuasorem occidere, quod aggrediatur me interficere: sed quod sua aggressione me iniuste ita constitut in discrimine vita, ut nulla pateat mihi alia via ad me erendum ab eo periculo, quam illius interficere. Sic ergo fit, inquit Molina in fine citati disput. 12. vt si solo decreto, aut quavis alia ratione vitam alterius inuiste ponaris in discrimine, à quo erui non possit nisi illum interficiendo, licite interfici possit.

Notandum est tertio, perinde esse in re proposita sive quis alium occidere tentet armis, vt ense vel catapulta: sive veneno, sive opere, vt percussione sive verbis, vt falso testimonio: & sive per se immediate, sive per alias, vt per siccationis. Nihil enim refert quo ex talibus modis infidetur quis vitæ alienæ, ad eam efficaciter auferendam. Ex quibus intelligitur, quod si accedas catapultam dislo-

surus ad me occidendum, nec possim aliter mortem euadere, nisi præueniam occidendo, te, posse me præuenire: quia erit defensio vitæ cum moderatione inculpatæ tutela. Similiter si nondum accedis quidem, tamen iam es ad occidendum instruētus, meque sic conclusum obsecum que tenes, vt non possim euadere nisi de occidendo præueniam. Exemplum in fine citati num. 2. Nauarrus ponit de uxori, quia certo seit marsum sub ceruicali pugionem condidisse ad ipsam dormientem occidendam, nec fugere potest, ianua clausa clave. Item si famulos voces ad me occidendum, nec aliter saluus esse possum quam te occidendo, possum occidere. Ob parem rationem si maleficia signis suis magis per dæmonem me infestet, possum iure defensionis eam verberibus cogere ut ab iniuria celer, dummodo mihi certe constaret eam esse mei mali auctor, & ea putetur sine nouo maleficio posse tollere illud quo me infestat vrns dæmonem administristro. De qua re Thomas Sanchez in opere moralib. 2. cap. 41. num. 24.

Ad hanc si paraſti mihi venenum, illud possum aliquia industria in te conuertere, si non sit alia ratio euadendi mortem, quam mihi intentas. Deniq; si eas ad terendum contra me falsum testimonium, ex quo accepimus sim mortis sententiam; ne calia est ratio effugij: licet ut sit mihi te occidere, tanquam alioqui occisurum me: cum nihil referat in tali re, an tuo vel alieno, puta carnificis, gladio me occidas. De quo plenius à Nauar. lib. 2. de refut. cap. 3. num. 352. & aliquot sequentibus. Quoad hoc autem & alia huiusmodi, in praxi habenda est ratio cautelæ proponendæ in sequent. num. 63. vers. Ceterum.

Quarta conditio est, vt occiso fiat cum moderamine inculpatæ tutela ex cit. cap. significasti, & ex cap. Olimi. De refut. p̄l. sive censetur fieri, si quis tunc solum occidat, cum id ad defensionem quam intendit, fuerit necessarium secundum regulas prudentie: seu cum probabilis conjectura est, nullum aliud esse propriæ mortis effugium; prout habet Petrus à Nauar. in preced. num. 344. Vnde inferatur, quod si aggressor sentiens se viribus inferiorem, fugiat; ille qui iniuriam patitur non possit cum insequi, vt occidat: quia talis occisio non esset propulsatio iniuria, sed vindicta. Inferatur etiam quod cum quis potest leui percussione defendere se ab aggressore, non possit licite eum occidere. Vide Sylo. in verbo bellum 2. quæst. 1. Locum habent autem haec tenus dicta etiam si aggressor fuerit innocens, id est, puer vel dormiens, aut aliis, nisi sit minister iustitiae exequens sententiam latam secundum allegata & probata, prout addit idem Nauarra in eod. cap. 3. num. 347.

Quærer aliquis. An cum licitum est occidere aggressorem in propriam defensionem, teneamus id facere; an vero debeamus mortem pati potius quam inuasorem interficere. Cui respondendum est cum Soto in 5. de iust. & iure quæst. art. 8. post medium, & Molina de iust. item & iure tomo 4. tract. 3. disput. 14. Quodsi aggressor sit rex vel dux, vel alia denique persona, quae re publicæ valde necessaria, & inuasorum persona sit cuius vita ad bonum commune parum aut nihil referat: iste ex charitate tenetur se non defendere, si nequit aliter id facere quam tales inuasorem interficiendo: quia ex ordine charitatis bonum commune præferendum est priuato. Si vero inuasus, persona sit reipub. valde necessaria, & inuasorum vilis, aut nobile, illum sub mortali teneri se defendere, etiam si id facere nequeat nisi hunc interficiendo. In reliquis autem mediis casibus, inuasorum ita ius habere defendendis contra quemcumque aggressorem inuistum; prout bene declarat Sylo. in verbo bellum 2. quæst. 5. vt nihilominus sit liberum, ex charitate qua pro inimicis vita ponit potest, eiusmodi iuri renunciare, exemplo Christi ac Sanctorum Apostolorum & Martyrum: nisi quod forte putans quis se inquinatum esse mortali peccato, valde timeret se damnandumiri, si tunc occidatur, debeat quantum potest se tueri: cum plus debeat diligere animam suam, quam proximi.

Quærere adhuc potest quis, An proposita excusatio loquam habeat in eo qui dando operam rei illicitæ coniecit seipsum in illud discrimen, vt nequeat mortem aliter euadere

dere quam occidendo aggressorem suum: vt cum reper-  
tus in adulterio non potest mariti manus aliter euadere  
quam occidendo ipsum. Ad quod negatiue responden-  
dum esse Nauar. in Enchir. cap. 15. num. 7. indicat: eo quod  
talis censeri possit homicidia, tanquam is qui constituit se  
in necessitate, quam praecautere potuit: iure le defen-  
dendi priuatus est eo nomine, quod illicite immiscuerit  
se negotio, propter quod manus alterius nequit euadere  
sine sua, aut illius morte. Sed oportunitus est defendendum  
cum Soto lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 1. art. 2. circa medium:  
qui assisteret Clericu cui aliquid huiusmodi contingeret,  
non incidere in irregularitatem, eo quod in tali casu esset  
immunis à peccato homicidij iuxta Clement. vnicam De  
homicidio, quamvis non esset immunis à peccato adul-  
terij. Quod idem ex Sylvest. verbo Homicidium 3. quæst.  
4. vers. 3. refert & approbat Petrus à Nauar. lib. 2. dñf. 2. art.  
cap. 3. num. 62. hac ratione: quod cum talis iuste se defendat,  
& alter illicite illum inuadat (maritus enim peccat in eo  
casu, autoritate propria occidens adulterum, vt diximus  
in posteriori parte 2. cap.) potest tantam iniuriam quacumque  
via repellere, atque adeo aggressorem occidendo, si  
nulla alia suppetat. Quia sententia: vt non minus proba-  
bilis, atque mitior tenetur potest in praxi. Inimo simplici-  
ter tenendam esse contendit Molina De iustitia & iure in  
civitate tract. 3. disput. 15. Nec obstat ratio in contrarium:  
quia in defendendi vitam suam contra iniustum inuasorem,  
perpetuum est, vt & perpetuus est naturalis instinctus agendi secundum illud. Nec etiam obstar, quod iu-  
xta cap. Dilectus cap. Ex literis & cap. Ioannes. De ho-  
micio: irregularitas tanquam homicidij pena, incur-  
ratur quando præter intentionem occiditur aliquis vac-  
cando rei illicitæ. Nam, vt memorati authores notant, id  
intelligendum est de re qua ideo illicita est, quod ex se  
sit ita periculo, vt mors plerumque ex ea sequatur: cu-  
iusmodi non est adulterium.

## Secunda difficultas quoad defensionem honoris.

**D**e secunda difficultate: quod pro defensione honoris  
si sit notabilis momenti, licitum sit, debito moder-  
amine seruato, occidere aggressorem, cumve qui illum au-  
ferat, sententia Sotus in præced. art. 8. verbus finem, & Nauar.  
in Enchir. cap. 15. num. 3. ac Sylvestri in verbo Homicidium  
1. quæst. 2. vers. 5. quos sequitur Petrus à Nauar. in lib. 2. de  
reflit. cap. 3. num. 370. Ratio vero est: quia si, vi ostendetur  
in explicatione sequentis difficultatis, tale quid licet ad defen-  
sionem rerum propriarum, quæ bona sunt interiora ho-  
nore, iuxta illud Proverb. 22. Melius est nomen bonum  
quam diuitiae multæ: I. multo magis licet ad defensio-  
nem proprij honoris. Eu depulsionem contumeliam,  
quando nulla alia ratio suppetit. Et confirmatur qui da-  
retur alioqui licentia improbis, optimis quoisque vexan-  
di consumelii, quæacerbiores sunt magisque mordent  
animos, quam damna rei familiae.

Atque hinc est, quod si prudentum arbitrio notabili-  
signominia sit alicui laico, tagore, rem fugere, ille  
posset non fugere, & hunc sine peccato dummodo id fiat  
tantum animo compescendit ipsum, non autem liuore  
vindictæ, occidere cum fuerit necessarium ad sui defen-  
sionem, prout habetur ex Panormit. ad cap. Olim 1. Dere-  
ficiunt. sicut, num. 17. & communem sententiam esse ex Ia-  
son, & Decio ad legem. Vt vñm, ss. de iustitia & iure  
Couar. refert ad Clement. Vnicam De Homicid. part.  
§. vñca num. 4. Quam cum eodem, Petrus à Nauar. in  
sequen. num. 372. & 373. merito existimat non procedere  
quoad defensionem honoris, qui ad bonos mores mini-  
me pertinet, nec est recipibilis nec religione Catholicæ  
commodus. Quandoquidem æqua non est, immo ini-  
qua est vita cum tali honore commutatio. Neque vero  
vt Petrus ipse à Nauar. consequenter addit, refert an quis  
honorem auferre moliatur armis, an lingua & detrac-  
tione. Addit & an baculo vel alapa: an vero consumeliosis  
aliquibus signis.

Monachi autem Sacerdotes, & alii Ecclesiastici quia  
fugiendo, honorem non amittunt (laus enim ipsorum  
non est in armis & audacia, sed in pietate & humilitate)

tenantur omnino fugere, vt habeat idem à Nauar. ibidem  
num. 389. aliis citatis post Couar. in eod. num. 4. Qui &  
admonet id intelligendum esse dummodo fuga non sit  
periculosa, vt si ea propria mortis periculum induceret,  
eo quod aggressor fugientem occisurus, instet à teigo, ca-  
piens ex fuga audaciam animumque maiorem: tunc enim  
ex Felino ad cap. Suscepimus. De homicidio. & ex aliis quo-  
rum ibidem ipse quoque Couar. meminit, tales posunt  
non fugere, & occidere aggressorem, si nequeant aliter  
manus illius euadere.

Atque ex hac proprieitate difficultatis explicatione po-  
test obiter deduci: dicendum est eadem ratione; quod  
virgo licet occidere volentem se opprimere, cum  
nequit aliter dedecus cum periculo peccandi con-  
iunctum vitare: prout dicunt Sylvestri. Homicidium 1. quæst.  
5. & Caier. 2. 2. quæst. 6. 4. art. in fine. Quod tamen ex Nauar.  
in Enchir. cap. 15. num. 5. secundum communem senten-  
tiam non procedit; quando virgo castitatem suam salvo  
omni honore suo, defendere potest fugiendo, vel voca-  
ferando, vel alio modo quam occidendo. Aduerte autem  
cum cum Petro à Nauar. in eodem cap. 3. num. 393. &  
394. id quod in hac re dicitur de virginie, posse dici pariter  
de quacumque honesta muliere. Item quod dicuntur de  
muliere dici posse etiam de quocumque quem ea in suum  
auxilium vocauerit, nempe licet ipsi inuasorem castigare  
occidere, cum necessarium plane fuerit ad illius defen-  
sionem. Aduete quoque ista omnia accipi debere cum  
ea moderatione quæ habetur in sequent. num. 63. vel.  
Cæterum.

Difficultas precedenti annexa vtrum alicui ad defensionem ho-  
noris liceat insequium, à quo Iesus est ut percussiatur,  
cum id requiri videatur ad reparationem eius-  
modi lesionis.

**E**Idem autem proposita difficultati annexa est alia  
maior. An videlicet sit licetum propter defensionem  
honoris, insequum qui iniuste vulneravit, sed iam dis-  
redit, atque ipsum similiiter vulnerare aut etiam occide-  
re, si ad seruandum honorem sit necessarium. Quia in  
re certum est, primo, quod eum qui iam destitut, vel dis-  
redit, non liceat insequi ob illaram corpori iniuriam, seu  
quia vulneravit, quæcum id vindicta est potius, quam  
repulso iniuria, prout glossa habet, 24. quæst. 1. in initio  
ad verbum propulsandam. Certum est secundo, quod nec  
liceat fugientem qui vulneravit insequi prædicta ratio-  
ne, quando potest honor recuperari per Iudicis officium,  
aut aliam iusta viam, ut per veniam postulationem, aut  
aliam humiliationem. Certum est tertio, quod non liceat  
ad hoc insequi ut reddatur malum pro malo.

Quæstio est igitur, An viro militari liceat insequi eum  
à quo vulneratus est, quando reputatur illi esse ignomi-  
niosum ita vulnerati. Hanc citatis pro veraque parre au-  
thoribus Petri à Nauar. plenius tractat in eodem cap. 3. anu.  
378. ad 390. Pars autem affirmans, licetum inquam esse,  
quam ille sequitur, ex eo confirmari solet: quod liceat  
incontinenti insequi illum qui auferit res temporales, ac  
percuteat si haec aliter salua esse nequeant. Ergo pariter  
cum qui violato honore alteris fugit, accebit insequi ac  
perire, si honor ipsa aliter nequeat seruari. Et confir-  
matur: quia magna licentia alioqui improbis est, con-  
tumeliam in quemuis ingerendi (quod malum pluris  
estimatur quam multæ pecunia iactura) si sola fuga &  
cessatione statim autem efficit. Quam rationem futilem esse  
censem quidem Sotus in 5. de iust. & iure quæst. 1. art. 8. sed  
rei veritas satis patet, si notemus rationem qua vindicta  
& defensio inter se distinguntur, esse quod vindica-  
re proprie sit valle reddere malum pro malo, quod illi-  
cium est priuata personæ per illud ad Rom. 12. Nulli  
malum pro malo reddentes] & illud Ecclesiastici 28. Qui  
vindicari vult, à Domino inueniet vindictam: & pecca-  
tor illius seruans seruabit] & demum illud quod habetur  
ex cap. 6. D. Matthæi vers. 13, 14. & 15. & ex cap. 18. in  
fine de condonandis offensis. Defendere autem se, est  
aggressorem compescere, atq; impedire damnum quod  
iam imminet, vel sic illatum est, vt adhuc maneat in su-

61.

62.

T

spensio.

sponso. Itas enim esse defensionis partes, manifestum est ex facto illius qui furantem res suas, vel auferre molientem impedit vel iam auferentem insequitur: ut enim illa impeditio, sic ista insecutio censetur res *casas* defendere, si quidem recuperari valeant. Quod addo quia si non valeant, & si neque eum qui damnum intulit non possum ob aliam causam id facere, quam ut reddam malum pro malo. Cum vero damnum illatum resarciri potest, eum qui interfici insequi licite possum: non quidem ut malum referam pro malo, sed ut mihi illatum resarcire curem: si quidem mihi ad id nulla alia ratio suppetat. Quod additur, quia si suppetet, non datur proposita insecutionis locus tanquam vindicativa.

**63.** Ac cum haec sint, patet illud rationem defensionis, non vindicta habeat, quo homo militaris eum a quo vulneratus est insequatur, non quidem ut malum pro malo reddat, sed ut conseruet honorem sibi ablatum, dummodo tamen id fiat incontinenti, cum res adhuc est in suspeso, non autem postquam is qui abstulit, dominum se iam recepit, vel alia negotia gerit, iuxta dicenda in explicatione sequentis difficultatis de latrone qui rem alienam, ablatam iam quiete domi habet: utriusque enim pars est ratio, ut bene monet Petrus à Nauar. in eod. cap. 387. Adhens consequenter, quod est observatione dignum, eum qui iuste percutitur in talibus casibus, non habere ius resistendi: quia daretur alioqui bellum ex utraque parte iustum seclusa ignorantia: non debere tamen sinecōdidi, sed petendo veniam, vel aliter satisfacere. Quod si faciat, nec alter cessare vent, iniuste inuidetur, & sic poterit inusarem offendendo, se defendere. Quod autem Sotus obicit non asportari honorem, sicut asportantur res que insecutio recuperantur, parui momenti est. Nam etiā non adsporetur a fure, qui illas abiecisset in flumen, posset tamen damnum passus, talem non minus, quam de facto asportantem insequi, ut tantumdem restituere cogat. De qua reidem Petrus à Nauar. in eod. cap. 3. num. 384. & quatuor sequentibus.

Cæterum quidquid sit in speculatione, non videtur in praxi permittenda facile ciuinodi: insecutio ob periculum odij, vindicta, excessus, pugnatum, & cadium in reip. perniciem: quam semper vitare oportet in usus defensionis: iuxta illud quod recta dicta, bonum commune esse priuato antefendum. Ex quo fundamento soluitur difficultas, quam idem à Nauar. mouet in praeced. num. 375. Num si detractor meam honestam famam denigrare nitatur, nec possum illud notabile damnum famæ alia ratione auertere, quam interficio ipsum occulte: id uite licite possim. Nam quamus in speculatione pars affirmans nō careat omnia probabilitate: in praxi tamen negans est sequenda: quia in iure defensionis, semper considerandum est, ne vīsus illius vergat in reip. perniciem, nec dubium est quin sequendo affirmantem, præbeatur occasio multis cædibus occulit, cum magna reip. perturbatione. Accedit quod si infamia iam sit illata, ea non extinguitur per morte infamantis: si in inferenda sit, plerumque non satis constat, possitne alia ratione impediri, quam occasione infamaturi, si que non sit liberum eo genere defensionis vti.

#### Tertia difficultas, quo ad defensionem rerum propriarum.

**64.** Qvod pro defendendis cibis propriis non licet occidere aggressorem, tententia est Abulensis ad cap. 5. D. Matth. quest. 110. & aliorū quos refert Petrus à Nauar. in eod. cap. 3. num. 395. quia pro vita proximi seruanda, debemus bona temporalia exponere; cap. 1. Pasec distin. 86. Ergo pro seruandis iisdem bovis, non est licet utrum vitam proximo admire. Adde quod in cap. 2. & 3. De homicidio, non aliter admitti videatur homicidium ad rerum defensionem, quam cum vita propria defensio est simul coniuncta. Sed oppolitam sententiam tenent Caiet. 2. quest. 6. 4. art. 7. Nauar. in Enchir. cap. 15. nu. 2. Sotus in 5. de iustitia & iure quest. 1. art. 8. aliquique multi, quos refert Couar. ad Clem. vnicam De homicidio part. 3. §. vnicum 5. & sequuntur Petrus à Nauar. loco cit. nu. 397.

aliquotque sequentibus, ac Molina de iustitia & iure tomo 4. tract. 3. disput. 16.

Pro explicatione vero duas statuimus conclusiones. Prior est, Quod si quis ad necessariam defensionem suis simul & rerum suarum seruato moderamine occidat aggressorem, occidat *occurrit*. Hæc probatur efficaciter ex cap. 2. De homicidio; & ex eo quod ante habitum est ad defensionem sui, licitum est occidere aggressorem, quia licet occidere est. Inde enim aperte constat a fortiori, licitum est occidere ad sui simul, & suarum rerum defensionem. Ex qua conclusione ab omnibus recepta, casuum particularium resolutionem deducit Couar. in cit. num. 6.

Posterior conclusio est. Quod solis etiam rebus cum aliter defendi nequeant, aggressor liceat occidatur. Ad hunc confirmationem facit, quod per cap. Olim i. Derecit. spoliatorum, cuique licitum sit rerum suarum usurpatores iniustos, statim ac innotuerunt vi repellere: quodque moraliter loquendo talis repulsa aliquando contingat cum occidione. Facit quoque cap. Dilecto De senten. ex communicationis in 6. cuius verba sunt: Pax terea cum omnes leges, omniaque iura vim vi repellere, cunctisque se defendere permittant: licuit utriusque ipsi Decano, si predictus Balliūs eum bonis suis mundanis iniuriosus spoliare, vel ea violenter occupare presumperit, contra illius violentiam, & iniuriam se tueri. Quæ verba satis indicat quod licet vim iniuste illatam in rebus utili vi iuste arcere. Et certe daretur alioqui occasio impleendi rempub. iniquissimis latronibus, scientibus se violenter rapere posse sine resistentia.

Nec obstat ratio in oppositum allata pro Abulensi, quoniam ea procedit in casu quo proximus constituit in necessitate, non autem in iniqua tantum voluntate, prout contingit in casu praesenti. Pro quo faciunt tradita à Molina in praed. disput. 13. Textus vero eidem ratione antea additus ex cap. 2. De homicidio, cum habet (te tuaque liberando) non est accipiendus quasi indicet liberationem personarum simul & rerum requiri ad licitam occisionem aggressoris: quandoquidem licita alioqui non efficeri occidio pro sola vita defendenda: quod falsum est iuxta supra dicta. Quocirca ex Couar. loco citat versu, Sed ad texum: verba illa/ te, tuaque ) intelligi debent alternae, ut sensus sit: te vel tua.

Maiores difficultatem habet quod in seq. cap. 3. dicitur licere occidere nocturnum furem, diurnum minime, nisi telo se defendat, quia tunc est plus, quam fur: & discerni potest, an ad occidendum vel ad furandum venient. Quibus verbis innuitur tunc solum licere furem occidere, cum probabile saltē adest. Periculum vitæ propria. Respondendum est vero, innuit tantum quod res debeant cum debito moderamine defendi, neque in earum defensione esse vīque ad occisionem procedendum, nisi necessitas omnino compellat: quod vix contingit quando fur diurnus non defendit se telo. Sic et extum illum Sotus intellexit in 5. De iust. & iure quest. 1. art. 8.

Itaque teneendum est pro rerum defensione aggressorem licite occidi posse quando et aliter defendi non possunt, neque aliqua iurius via valent recuperari. Quod addo: quia, ut idem Sotus in id. habet ex doctrina iurisperitorum, cum spes est, furtum recuperandi via iuridica, non licet furem occidere. Quod tamen, addit idem, verum est tantum, cum certa spes fuerit, quod ea ipsa res furto sublata faciliter negotio recuperari possit: nam cum id dubium fuerit dominus suo iure ut pereat, atque adeo inusarem ad defensionem rerum suarum occidere, cum aliter defendi nequeant. Immo non obstante ea spe, si fur velit se vi uerti contra eum qui nitur furtum impetrare, hic poterit illam vim vi repellere, quantum necesse est ut rem eam saluam habeat: hocque est quod ait Sylu. Bellum secundo, nu. 3. quando res per viam iudicij potest haberi, non licet tam defendere, nisi dum est in ipso rapi.

Quæres, An si fur rebus suis onustus fugiat, illum insequi licet tibi; & præmonitus de suo periculo nisi casus relinquit, displosa catapulta interimere quando non potes aliter ipsum sistere. Ad quod responderi potest affir-

matue

marie cum Sylvestro Excommunicatio 6. num. 6. casu. 9. & Soto in eod. art. 8. ac Petrus à Nauar. in s. p. cit. cap. 3. num. 409. & aliquot sequentibus. Ratio est: quia tunc etiam, iuxta ante habita ex cap. Olim. 1. Derestitut. spoliat, durat aggressio, saltem quoad inuasionem rei, etiam si persona non inuadatur. Et confirmitur, quia si id non esset licitum, defensio rerum maxima ex parte esset utilis, cum quilibet sur posset rapere, & statim fugeret.

Quando autem fur iam se aliquo recepit, ubi rem ipsam quiete possidere incipiat, memorati authores dicunt non licere vi ipsum aggredi: quia non videtur violentia tunc inferri rebus alienis, quae iam plene possidentur; sed tantum in remedium committi iniustitiam, ob iam priuata authoritate occidere non est licitum. Plene autem possideri censemur, postquam fur domi iam est pacificus vel ad alia negotia diuertitur, prout D. Anton. 3. par. tit. 4. c. 3. §. 2. att. sit. Vbi quoque docet, non solum pro rebus suis, posse quemque defensionem fulcire, vim vi repellendo, sicut pro sua persona, sed etiam pro rebus apud se deponitis, vel sibi commodatis & pro amicorum propinquorumque rebus, eos scilicet adiuuando. Quod etiam Syl. habet in verbo Bellum 2. num. 10.

Ad illud autem quod hic queri potest, An ei qui nequit ob reipubl. perturbationem, rem suam alteri recuperare, licet domum detentoris intrare, & illam auferre, viciā adhibita, si in pediatur. Responsio Leon. Lessij lib. 2. De iustitia & iure, cap. 12. da. iur. II. placet, videri licere, si talis res extet in sua specie v. g. equus, vestis, torquis, &c. quia in eo non est proprie aggressio, sed potius defensio. Si autem illa non extet, non licere ea ratione in compensationem illius accipere & equivalentem: cuiuscum non sis dominus, sed alter cui eripere vis: ipse ius habet refendit tibi: tuque ceteris aggressor, non vero ipse, cum in eo non retineat rem tuam, sed tu rem illius inuadas.

Cæterum haec censenda sint non solum ad laicos, sed etiam ad Clericos pertinere, prout docet Petrus à Nauar. in eod. cap. 3. num. 414. & quatuor sequent. Nam per glossam ad principium 1. quæst. cause 23. verbo Pop. Sandam: Clerici quoque possunt ad defensionem rerum suarum occidere aggressorem. Atque carentes culpa, irregularitatem non incurrente ea de causa Couar. ad Clemen. vnicam, De homicid. 3. par. §. vnicam exprefit.

Id autem quod aliquot Canonistas contra sensisse iudicat, non habet sufficiens fundamentum: cum talis defensio nullo iure sit prohibita Clericis: & canones quos illi profecit, intelligendi sint de illa defensione in qua quis excedit moderamen inculpatæ tutelæ, ut idem Couar. bene notat: & illustratur per casum cap. Suscepimus, De homicidio: in quo fratres qui sine occidente suaque falua habere poterunt latrones occiderunt, damnantur peccati, & irregularitate puniuntur.

Adiuerte obiter quantumvis Clericis secundum ius antiquum, ne quidem vitam propria licuerit defendere cum alterius interfictione, vt patet ex cap. De his 1. dist. 50. iam tamen constare ex memorata Clemen. vnicam, De homicidio, Clericis licere interficere ad necessariam vitam propria defensione. Quod etiam deduci potest ex cit. cap. Olim 1. De rest. spoliat. Notandum est vero, hoc quod diximus aggressorē occidi posse pro terum defensione, debe intelligi quando res prudentis arbitrio, circumstantiis attentis, sunt non modici valoris: vt notarunt Socii in cit. art. 8. & alij quorū meminit Couar. in eod. num. 6. v. 10. Ratioque patet: quia iniquum est, pro rebus parui momenti seruandis vitam alicui auferre. Ex eodem Soto autem, Molina in cit. tract. 3. disput. 16. num. 6. modicum valorem determinat trium, quatuor, aut quinque ducatorum.

## CAPUT XVI.

In quo explicatur, An licitum sit proximum sicut seipsum defendere, cum occidente aggressori.

## SUMMARIUM.

Aliquando licita est occiso ad necessariam defensionem proximi, non modo laico sed etiam Clerico.

Valerij Par. III. Tom. 2.

- 70 Obligatio est sub mortali ad regulationem coniuratio in proximum, cum non solum sit ad conservat onē vite p. us.  
71 Obligatio est conservandi ut vitam proximi, sic & illius bona alia.  
72 Explicatio difficultatis, An licet mortem proximi optare.

Sicut nobis, ita & innocentii proximo (qui charitatis vniōne nobis cum vnu est) vim illatam, liceat vire repellere, argumento est: quod si ipse iustum bellum gerat contra aggressorem, illud ex qui proximum inuando, licetum sit & charitatis officium. Quo argumento vnu Petrus à Nauar. lib. 2. Derestit. cap. 3. num. 419. & 420. bene admonebit innocentem in hac re cenclendum esse, cum etiam qui aggressor quidem fuit in principio, sed vult deinceps ab iniuria defistere. Propositæ ergo difficultati sanctis dicens, si quis proximi vitam, quæ in iuste ei admittitur, aliter defendere nequeat, quam cum aggressoris occidente, posse cum eadem illum defendere. Id quod à Panormito notatum ad cap. Clerici 1. De vita & honeste Cleric. num. 3. communiter receptum est à Doctribus, vt Molina monet, De iustitia & iure, tom. 4. tract. 3. disput. 18. num. 1. Atque pro ea facit cap. Dilecto, D. sent. ex com. in 6. cum in eo dicitur licere cilibet suo vicino vel proximo pro repellenda iniuria ipsius, suum impetrare auxilium. Faciunt item canones quos habet ibid. glossa ad verbum Vicino. Nota autem Panormit. (citatis Hostiensi & Innocentio) per verbum, cilibet, significari tam Clerico quam laico tale quid licitum esse.

Patitur vero id aliquot exceptiones. Prima est, nisi inuidens sit patet defendantis: à quo sic occidi repugnat naturali obseruantæ filiorum erga parentes. Secunda est, nisi constet inuafum velle potius pati mortem quam inuaforem occidi: idque in casu in quo tale quid est licitum est: vt si in causa fidei offert se martyrio. Extra quem casum, cum non sit vita sue dominus, non potest eam alteri donare: proindeque non potest ceteris adimere ius defendendi ipsum. Tertia est, nisi aggressor sit talis persona, quam inuisus propter bonum commune teneatur non occidere: ne ad defensionem sui quidem. Si enim ille ad id tenetur, à fortiori teneris & tu: quandoquidem tibi occidere non aliter licet, quam ob ius quod ille haberet se defendantum cum aggressoris occidente.

Si queras, An extra hos casus, non tantum licitum sit etiam obligatio sit sub mortali interficere in iustum inuaforem, quando non possimus alteri à morte eruere inuafum, & ea ratione possumus. Molina, Nauarro & à Victoria citatis, responder affirmatiue in seq. num. 6. per illud Proverb. 24. Erue eos qui ducentur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Quod præceptum tanquam datum de re graui, nimurum deliberaatio ne proximi à morte, certum est obligare sub mortali. Et quia liberatio innocentis inuafis, in pari periculo anteponenda est liberationi inuaforis inuafiti (illius enim melior, quam huius conditionem esse debere satis de fe constat) videtur pariter certum, similem obligationem esse liberandi à morte innocentem, occidendo in iustum aggressorem, quando non possumus alteri illum liberare.

Atque hæc congruenter statuendum est, cum peccare mortaliter: qui non reuelat proximo homicidium in ipsius persona committendum, quod non potest ipsum alio modo liberare. Id quod Caeteran. in verbo Homicidium. cap. 2. sub finem, negat: & locum habet, etiam si Clericus sit, aut Religiosus ille qui non reuelat, iuxta doctrinam eiusdem Caier. 2. 2. quest. 33. art. 7. quia talis reuelatio incumbit ex iure naturæ; cui ius Ecclesiasticum non derogat, cù imponit irregularitatem Clerico, qui mortali alicuius causam dederit. Locum etiam videretur habere etiam si quis promiserit se seruaturum secretum: cum tali quoque promissione ius naturale præualeat. Quamquam si sigillum esset sacramentale, de cedendum non esset nequidem ad conservandam vitam cuiusvis, aut ad reipubl. excidium aut quocumque aliud malum auerendum, ex communī doctrina de codēm sigillo à nobis tradita in lib. 3. cap. 2.

Quod autem tenetur quis honorem aliqua bona proximi defendere cum potest, resque exigit; satis signifi-